

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Derenthal Heinrich Cosstede

**Iuris Universi Romani Methodicarum Disputationum XII. De Iure Obligationum,  
Emptionis Et Venditionis**

Rostochii: Literis Reusnerianis, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316366>

Druck Freier  Zugang



R U. für 1605  
Grauhal, Joh., Pres.  
Contide, Henricus. Resp



IVRIS VNIVERSI  
ROMANI

METHODICARVM  
DISPV TATIONVM  
XII.

DE JVRE OBLIGATIO-  
NUM, E MPTIONIS ET  
VENDITIONIS.

Quam

A VSPICE TRINVNO DEO

Præponente

Dn. IOHANNE DERENTHAL  
MINDANO.

Ordinarij exercitij gratia, pro ingenij  
viriculis tuebitur,

HENRICVS COSSTEDE  
Mindanus.

Horâ & loco consuetis,



ROSTOCHII  
Literis Reusnerianis, Anno 1605.

*AMPLISSIMIS, VIRTUTE  
sapientia, doctrinâ & auctoritate  
præstantibus Viris,*

Dn. RUDOLPHO PLAGGENFALL,  
inclytæ & vetustæ Reipub. Mindensium  
Consuli gravissimo :


Dn. HERMANNO SCHILLING,  
celeberrimæ Reipub. Rostochiensis  
Senatori prudentiss.

Dn. M. IOANNI AVERBERG, Iurium  
scientia conspicuo, & ejusdem Reip. Min-  
densis Secretario fideliss.

*Dominis, promotoribus, fautoribus, & respectivè  
cognatis, affatim suspiciendis :*

HANC VELITATIONEM

In  
Grati animi symbolum,  
Debitæ observantiae monumentum,  
Literarij ocij testimonium,



*Dicat & exhibet*

1940. 7429

*Respondens:*

METHODICARVM  
DISPV TATIONVM XII.  
DE JVRE OBLIGATIONVM.

*Respondente*

HENRICO COSSTEDEN  
Mindano.

THESES I.

**V**s suum cuique in rebus aut consistit ijs, quæ jam potestati nostræ subiectæ , alterius præstationem haud indigent: aut in ijs quæ cuique debentur, & proinde jure ab altero præstandæ . Priori parti explicatae sequitur alteram subjiciamus. Deberi id probè dicitur, ad quod præstandum quis obligatus est, & debitor is, à quo obligatō res exigitur. Vnde fit, ut cum de eo quod nobis debetur queritur, omnis ea quæstio ad obligationis jus & cognitionem referatur. Cic. pro Quint. vide supr. disp. 2. lib. 2. & 3.

II.

Definitur obligatio juris vinculum , quo necessitate astrin-  
gimur alicujus rei solvendæ , secundum civitatis nostræ jura.  
Quam licet obligationis definitionem , Imperator initio Institut  
de Obligat. ad obligationem propriam seu naturalem & civilem  
simul , & actionem inducentem restringat. Non incommodè  
etiam ad naturalem imò & civilem tantum eam protendimus.  
Quippe & naturalis suas obtinet præstationis commoditates,  
quibus cui naturaliter debetur suum assequitur , detentione scilicet  
& exceptione : & civilis tantum actionem jure efficacem intro-  
ducit, quæ nisi exceptio opponatur valida est. Init. instit. de  
obligat. argum. l. fidejussor. 16. § fidejussor, de fidejuss. l. cum amplius § i.  
de reg. juris. l. quod pupillus. de condic. indebiti. § præterea Institut. de  
except.

A

Obli-

## III.

Obligationum duo sunt genera; simplices quædam, quædam mixtae. Simplices aut naturales sunt aut civiles. Naturæ obligatio, est naturæ & juris gentium vinculum, quo ad datum aliquid aut faciendum obstringimur, necessitate præstationis in sola æquitate subsistente. Fundamentum hujus obligationis æquitas est, eamque æqui & recti amans, licet civili actione nulla teneatur, præstabit. l. 95. § naturalis, de solut. l. cum amplius. § naturalis eod.

## IV.

Inducitur obligatio naturalis, pactis nudis Iurisgentium, conditione personarum, causa pietatis & obsequij. Pactum nudum Iurisgentium obligationem naturalem inducere affatim textus ll. testantur: Præterquam enim quod Prætor servaturum se pacta, (quæ servari nisi obligationis causâ nequeunt) pollicetur: apprimè etiam in hanc sententiam Iureconsultus Vlp. usuras pacto promissas naturaliter deberi, nec repeti solutas posse affirmat: imo harum causâ pignus dari Imperatores Severus & Antoninus rescripserunt, quod ut accessio obligationis sine principali haud subsistet. Proinde verba l. 7. § sed cum nulla; de Pactis. pactum nudum obligationem non producere affirmantia, de vera interpretanda sunt obligatione scilicet actionem inducente, cum impropriè ea quæ naturalis est, obligatio dicatur. l. si quod de cond. indeb. l. 7. § 7. de Pact. l. 5. § naturaliter de solut. l. 5. l. 22. C. de pign. l. 5. ff. de pign. l. fidejussor 16. § fidejussor de fidejuss.

## V.

Illud præter naturam pacti obvenit, ut junctum in continent bonæfidei aut stricti juris contractibus, actionem producat contractus ejus cui jungitur. Verum pactum ut servus exportaretur propter asperitatem & inhumanitatem etiam junctum contractui, actionem non parit. Convenit enim omnimodo favorabilia extendi, odiosa restringi. l. 7. § quin imo, de pact. l. 13. C. eod. l. 1. l. 2. de pact. in empt. & vend. l. 4. de lege commiss. l. Imperatores, de in diem addict. l. 4. § fin. de pact. l. lecta de reb. cred. l. 7. l. vi. num l. non omnes. eod. l. 7. de serv. exportand.

## VI.

Pactum hoc jurisgentium à pactione, notatione Logicas non

non literarum numerum , sed argumenta rerum intuente , di-  
ctum , est duorum pluriumve inter se , in idem placitum consen-  
sus qui causa vacat , & à contractu pacto legitimo iurisque  
actionem producentibus recte distinguitur : quippe haud in-  
commode pactum in nudum & non nudum dividitur , quorum  
illud rursum vel iurisgentium est . vel legitimum ; non nudum  
contractus appellatur , l. i. § 1. de pact. l. i. § 7. eod. l. 3. de pollicitat.

VII.

Ex conditione personæ naturalis inducitur obligatio , cum  
contractu initio ex persona debitoris veluti servi , pupilli locuple-  
tioris facti , filijs fam. creditum mutuantis , actio denegatur ; vel  
cum ipse creditor pro conditione sua debitorem convenire ne-  
quit , ut servus dominum , filius fam. patrem , frater fratrem ejus-  
dem patris potestati subiectum , dum in bonis quæ patri acqui-  
runtur contrahant . l. servi de oblig. & act. l. 127. de V. O. l. i. in fin.  
de Novat. l. i. l. 9. § ult. ad SC. Macedon. l. 64. de cond. indeb. § hi qui  
enst. de oblig. que ex delict. l. 38. l. ult. de condic. indeb. d. l. 38. in pr.

VIII.

Pietatis causa obligationem inducit naturalem , qua parenti-  
bus filiam quam in potestate non habent dotare convenient ; quip-  
pe mater errore ducta , dum obligatam se pro dote opinatur , fi-  
liam dotans conditionem indebiti non obtinet . & pater eman-  
cipatam æquitatis duntaxat ratione , cum dote viro locat . Ob-  
sequium naturaliter libertum ad operas patrono præstandas offi-  
ciales naturaliter obstringit . l. cum is § pen. de cond. indeb. l. 19. de  
ritu nupt. l. si non sortem § libertus de condic. indeb.

IX.

Beneficia præstata accipientem nec naturaliter nec civiliter  
ad remunerandum obligant , licet enim nullum officium refe-  
rendâ gratiâ magis necessarium ICti approbent , non tamen ceu  
obligationis initæ causâ exercendum : quippe cum inter benefi-  
cium conferentem , & eum cui confertur , non hoc , ut aliquid  
vice mutua præstetur , agatur ; nec honestum sit viro bono da-  
tum beneficiū ac creditum repetere , ad gratum potius animum  
benè merentibus habendum , quam certam rem retribuendam  
beneficia accipientes obligari opinamur . l. et si lege de petit. hered.  
Seneca lib. 3. benef. vide Ciceronem lib. 1. Offic. Oblig.

## X.

Obligatio naturalis sicut nec Canonico nec Civili Iure actionem inducat, otiosa tamen non est, sed suos juris sortitur effectus, quorum quidam principales, quidam accessorij sunt. Principales duo, soluti retentio & compensatio. Retentione soluti id, quod naturaliter debitum solutum est, accipiens jure obtinet, condicione indebiti solvendi denegata. Compensatio etiam in his quæ natura debentur locum obtinet, & proinde naturaliter obligato debitorem suum actione pulsanti, æquè debiti pensatio opponitur. *l. naturales de oblig.* & *act. l. fidejussor & fidejussor de fidejuss.* *l. si pœna.* *l. si quod dominus de cond. indeb.* *l. etiam de compens.*

## XI.

Accessorij naturalis effectus sunt, qui huic juncti vel civilem pariunt obligationem vel faciliorem modum debitum obtinendi. Quorum quatuor enumerantur. Constitutum, Pignus, Fidejussor, & Novatio. Debitum naturale, si quis constitutus se solitetur, valet constitutum & tenetur de pecunia constituta. Fidejussor naturali accedens obligationi etiam civiliter tenetur. Pignoris persecutionem & retentionem naturalis debiti causâ dati creditor obtinet naturalis. Et si in novationem deductum est, naturaliter quod debebatur, civiliter debet incipit. *l. i. & penult. & ult. de pecun. constit.* *l. per retentionem,* *l. pignorib.* *C. de usur.* *l. de novat.*

## XII.

Obligatio naturalis constituta, ijsdem serè solvitur modis, quibus civilem solvi inferius dicemus. Illud modo dissimile, quod quibus ex causis civilis per exceptionem duntaxat tollitur obligatio, ijsdem interventibus naturalis statim expiret. Quippe pacto interposito, ne creditor peteret aut jurante debitore se non debere, civilis obligatio perdurat & exceptione pacti aut jurisjurandi debitor defenditur: aut eadem si interveniant in obligatione & debito naturali, ipso jure penitus tollitur obligatio. Nisi pactum contractui sit adjectum, quod per posterius itidem ope exceptionis infirmatur. *l. 95. & naturalis de solut.* *& præterea, & æquè inst. de except. d. l. 95. & naturalis de solut.* *l. nihil tam naturale de reg.* *Iur. l. 27. & 2. de pact.*

Civilis

### XIII.

Civilis obligatio nuda est, quæ Iure Civili actionem quidem parit, sed eam quæ per exceptionem Iure Prætorio confirmatur. Inducitur cum qui Iure naturali & Civili obligatus, paciscitur ne à se petatur, manet enim hoc casu vetus obligatio, ut quæ pacto convento non est sublata: sed adversus actionem parata est exceptio pacti conventi: qua non opposita jam ab initio in strictis judicijs actio procedit, & reus condemnatur. & si rursus nudo pacto debitor præstitutum se polliceatur, actionem consequitur, licet alias pactum actionem non producat. § præterea inst. de except. l. 17. § 2. de pact. l. 3. § 1. de pecun. const. l. si quidem l. prescriptionem C. de except. l. si unus § pactus de Pact. l. pacta novissima C. eod.

### XIV.

Obligatio mixta seu civilis & naturalis simul, est juris vinculum, quo necessitate civili & naturali astringimur rei debitæ dissolvendæ, secundum civitatis nostræ jura. Quæ & civilis appellatur, generali scilicet denominatione, quo Ius Civile etiam Prætorium complectitur, & per cœquem absolutè obligatio dicitur, dum propriè sit obligatus, à quo invito pecunia exigitur. l. 1. de Novat. l. servi de oblig. l. juris gent. § sed cum nullo, de pact. l. fidejussor. 16. § fidejussor de fidejuss.

### XV.

Obligationis mixtae species duæ sunt: aut enim publica est aut privata. Publica qua subditi ad Reipublicæ conservationem obligati, ea quæ salutem hujus concernunt præstare tenentur. & oritur aut specialis promissi causâ, aut pietatis, qua omnes cives Reipublicæ obstricti dicuntur. Ex causa promissi specialis oritur obligatio his, qui voventes, quid Reipublicæ aut Deo pollicentur. Vtrumque Respublica ceu debitum exigit: prius equidem jure suo, posterius administrationis, dum quæ lutis Divini sunt rectè curat & tuetur. l. 1. l. 2. de pollicitat. Cic. 1. offic.

### XVI.

Causâ pietatis cives in tributiones imperatas, ad sumptus necessarios Reipublicæ ferendos, tum operas præstare tenentur: quarum illæ in muneribus versantur patrimoniorum, hæ in ho-

A 3 noribus

moribus & muneribus publicis impositis subeundis. l. 2. de Iust. &  
Iure Cic. i. Offic. Plin. Iunior i. Epist. 9.

XVII.

Privata obligatio dicitur qua privati privatis obligantur, quam duplarem reperimus, principalem & accessoriā: Principalem rursum ex conditione ipsius obligatæ personæ, aut facto aliquo externo promanantem. Ex conditione personæ obligatio inter liberos & parentes, libertum in Patronum, qua illi & alimēta invicem sibi omni discrimine sexus sublati, & parentes filia quam in potestate tenent, tum liberi parentibus reverentiā ac honorem præstare tenentur: hic verò Patronum ejusque liberos tenuiores alere, ijsdemq; obsequium exhibere obstringitur. l. si quis à libertis § 1. de agnos. lib. l. 4. l. filia. C. de patr. potest, d. l. si quis à libertis § solent.

XVIII.

Facta externa obligationem inducentia, duo sunt: alia legis, & hominis alia. Legis factum est auctoritas legum, qua sola, nec ullo alio interveniente negocio, ex pactis nudis legitimis obligatio & actio inducitur. Horum pactorum legitimorum olim plura extitisse suspicamur, jure nunc constitutionum tria reperimus. Constitutum, Contractus Emphyteuticus, & pactum donationis. De constituto seu constituta pecunia obligatio est Edicto Prætoris constituta, qua is, qui debitum nudo pacto se soluturum constituit, tenetur, & ad præstandum promissum compellitur: Cui hoc singulare, ut si per creditorem factum sit, quo minus quod constitutum est acciperet, debitor non teneatur. l. legitima de pact. l. 1. § 1. de pecun. constit. l. 16. § 1. eod.

XIX.

Contractus Emphyteuticus est, cum à domino ager datur alicui in perpetuum, ad longum tempus fruendus, certa pensio ne in singulos annos constitutâ, ea lege, ut quamdiu pensio solvetur, agrum auferre, nec ei qui accepit, nec his qui in locum ejus successerunt, liceat: qui solo consensu apud veteres initus, nec in proprium transiens nomen, nec causam aliquam aliam ad obligandum comparatam complectens, sola legis auctoritate obligationem inducit. Ex constitutione D. Leonis hoc

nis hoc additum, ut non aliter quam scriptura interveniente per-  
ficeretur. *I. ad eū inst. de locat. & cond. l. i. C. de Iure Emphyt.*

X X.

Non omne pactum donationis habet propriam obligatio-  
nem quæ ex natura aliqua & potestate privatim huic conventio-  
ni attributa descenderet, sed id tantum quod præsens est, seu  
quo quis dicit se donare verbis in præsens conceptis. Quod si  
in futurum donatio concepta sit, pactum nudum Iuris Gentium  
est, nec civilem inducit obligationem. Semper enim in legibus  
nibis hoc tenendum, quicquid lege nova specialiter expreßum  
non est, id veterum legum constitutionumque regulis reliatum  
intelligi. *l. si quis argentum C. de donat. & alia inst. eod. l. precipimus  
C. de appellat.*

X XI.

Facta hominum principalem obligationem privatam indu-  
centia, quatuor enumerantur. Contractus, quasi Contractus,  
Maleficium, quasi Maleficium. Contractus est conventio, cau-  
sam, jure civili ad actionem inducendam comprobata, com-  
pleteſens. Constat contractus duabus ex rebus: Conventione  
seu hominum interposito mutuo consensu, & causâ jure appro-  
batâ. *l. i. & conventionis de pac̄.*

X XII.

Nullum contractum sine consensu & conventione subsiste-  
re ex sententia Pedij Vlpianus l. i. de Pac̄. refert. Proinde iſ  
tantum qui consentire possunt contrahunt, & quæcunque con-  
sensui contraria sunt, in contractum incidentia, vitiant contra-  
ctum, quarum quædam externa sunt, quædam ipsi conceptioni  
conceptionis inhærentia. Prioris generis sunt error promitten-  
tis, extorta voluntas, & propositum contrahentium obligationi  
institutæ contrarium.

X XIII.

Error promittentis sive in re sit promissa, sive in persona  
cui promittitur, contractum impedit. Quod si in corpore rei  
contrahentes consentiant, sed errent dunraxat in materia rei,  
veluti si in annulum certum consentiant, sed qui aureus putab-  
tur cum esset æs inauratum, stipulatio hujus annuli valet, emptio  
& ven-

& venditio nulla est. l. 2. de jud. l. 9. de hered. inst. l. 83. § 1. l. 137. de  
v. o. l. 22. eod. l. in venditionib. § 1. 2. de contrah. empt.

X XIV.

Voluntas promissoris extorta consensum non habet, cum voluisse non creditur, cui excussa voluntas est. Extorquetur voluntas aut dolo, aut vi aperta. Dolus machina est, qua quis oppugnat & velut victus cogitur id velle, quod nisi dolo victus esset, noluisset. Hinc si deceptus quis ab adversario quid promisit, contraxit, placet eum non teneri, & si quidem dolus contractui bonæfidei causam dederit, ipso jure nulla obligatio efficitur, sive stricti juris conventionibus, obligatio subsistit quidem sed adversus agentem doli competit exceptio. l. & eleganter in pr. de dolo. l. 3. § ult. pro socio. l. dolo C. de inutil. stipul.

X XV.

Nec qui vi inductus ad contrahendum consensisse presumitur, similiterq; contractus bonæfidei, vi extorta initus ipso jure nullus efficitur, stricti vero juris ope exceptionis impugnatur. l. 1. quod metus causa. l. nihil consensi de R. I. l. item si. § penult. ff. quod met. cauf. arg. l. 7. in pr. de dolo.

X XVI.

Propositum contrahentium obligationi & conventioni contrarium consensum impedit, facitque contractum nullum cum joci causa vel demonstrandi intellectus quid agitur. Hi sunt contractus qui imaginarij dicuntur cum scilicet fides facti simulatur veritate non interveniente. l. 3. § ult. de O. & A. l. contractus eod.

X VII.

Ipsi conceptioni obligationis inhærens & contraria consensi est conditio adjecta obligationibus, qua pendente aut deficiente obligatio nulla est. Imo quedam conditiones contractibus adiectæ ipso jure statim irritum contractum reddunt: veluti impossibilis & quæ in voluntatem ac arbitrium promittentis conferuntur. l. cedere de V. S. § sub conditione inst. de V. O. § impossibilis inst. de inutil. stip. l. impossibilis 7. de V. O. l. 46. in fin eod. l. sub hac conditione 8. de O. & A.

X VIII.

Alterum ex quo contractus essentia constituitur, est causa &  
nego-

negotium jure comprobatum, quod facit ut ex conventione sit  
Obligatio, ex obligatione actio. Et negotium hoc cuilibet qui-  
dem contractui proprium est, verum in genere dividit potest, ut  
vel ipso jure contingat, in his quae nudo consensu initae conven-  
tiones, in aliud proprium contractus nomen transeunt; vel tunc  
cum ad conventionem, aut verba, literae, aut jusjurandum, inter-  
venerint. Prioris generis contractus sunt quatuor Emptio ven-  
ditio. Locutio conductio. Mandatum. Societas. Posterioris qui-  
dam sunt quibus id agitur, ut re data traditave idem reddatur in  
specie, quidam quibus agitur ut pro eo quod datum factum est  
est praestetur aliud, imo quidam quibus ut res sine spe retribu-  
tionis praestetur agitur.

X X I X.

Emptio venditio ex l. 12. Tabularum interpretatione o-  
mnem equidem obligationem complectitur, verum Iure obliga-  
tionis ad certam contractus speciem, à permutatione omnium  
contractuum antiquissima originem desumentem, rectè refertur:  
Ac definitur contractus Iuris Gentium solo consensu initius de-  
re emptori tradenda, & pretio certo venditori in nummis dan-  
do. In quo qui rem tradere venditor, qui premium dare debet  
empor, & illius respectu emptio, hujus venditio perpetuò &  
constantī I Ctorum auctoritate dicitur. l. 29. § 1. de statu lib. l. in  
pr. & fin. de contrah. emp. l. 2. de Oblig. & Ad. l. 1. de permut. § 1. Inst.  
de oblig. ex cons. § 1. de Emp. & vend. Corn. Tacitus de morib. German.  
Plin lib. 33. cap. 1.

X X X.

Nudo consensu Emptio & venditio perfici dicitur, dum ad  
hujus perfectionem non desideretur ulla rei præter consensum  
præsentia, ac simulatq; de re ac precio rei consentum sit, contra-  
ctus introducatur. Nam cæteri contractus, quamvis mutuum  
etiam requirant consensum, præter tamen hujus interventum,  
verba, res aut literæ ad substantiam eorum adhibenda, quæ in  
emptione non desiderantur, nisi contrahentibus eam in scriptu-  
ram redigi placuerit, aut res fungibilis, non per aversionem fue-  
rit vendita. His enim modis non aliter perfecta censetur em-  
ptio, quam si scriptura fuerit absoluta, aut res vendita appensa

B

vel

vel adnumerata venditori § 1. Inst. de Oblig. ex cons. l. 2. § 1 de Oblig.  
¶ act. § 1. Inst. de Empt. l. 35. § 5 de contrah. empt.

X X X I.

Versatur emptio & venditio in re & precio, tum illius trādendi, hujus dandi modo. Res quæ veneat non solum exprimi à venditore debet, sed & illa in emptionem deduci quæ hominum commerciis exempta non est, re quippe sacra, religiosa, vel quæ nusquam extat emptori scienti vendita, emptio nulla est, ignorantि verò actio de eo quod interest competit. Rei litigiosae item feudi, Emphyteuscos, venditionem leges reprobant. l. 4. seq. de Contr. empt. l. 42. § 1. Eod. tot. tit. C. de litigios. c. un. dō prohib. feudi alien. l. ult. C. de Jure Emphyt.

X X X I I.

Cæterum non tantum res corporales verum & incorporales, ut actiones hereditates & servitutes in emtionem deducuntur. Quin etiam fructuum futurorum imo spei sive alez, ut captus pisium, avium, missilium est emptio, & prior in tantum valet, ut fructibus tenuioribus natis, ne quidem propter sterilitatem partis precij remissio emptori fiat: fructibus verò prorsus nullis editis, ceu deficiente conditione obligationis conditiona- lis, emptio nulla est. Spei emptio pura est & valet, quamvis res nulla capta sit, l. 34. § 1. de contrah. empt. l. nec emptio 8. in pr. ¶ § 1. de contrah. empt. l. si jactum. de act. empti. L. 8. de peric. ¶ commido rei vend. d. l. nec emptio 8. § 1.

X X X I I I.

Premium æquè ac res emptionis contractui necessariò adhuc bendum, certumq; in pecunia numerata jam ab initio designandum, aut statuendum ita, ut certitudo ejus ex post facto haberi possit. Proinde valida est emptio, cuius pretium ad aliam quantitatem verbis non expressam, sed certo designatam loco, referatur, aut in alterius certa personæ arbitrium confertur. Imo & in ipsis vel vendoris vel emptoris arbitrium collatum emptioni recte adiicitur, quæ & utilis est, modo pretium dictum sit. Qualecunq; verò adiectum sit pretium, validum erit, dummodo toum contractum in donationem non transformet l. 2. de contrah. Emp.

**Emp. § 1. Inst. hic l. 7. § fin. § 1. eod. §.** item pretium **Inst. cod. l. ult. C**  
**cod. l. 25. in pr. locati d. l. 7. in pr. l. 36. Eod.**

X X X I V.

Modus rei tradendæ est, ut siquidem dominus sit venditor rei venditæ ejus dominium transferat ad emptorem, sin minns solum præstet, emptori rem traditam habere licere: Pretij danni modus est, ut emptor pecuniam det, seu rem accipientis faciat. Vterq; suos sortitur effectus, & traditionis venditoris, quidam in re vendita versantur, quidam extra rem. In rei venditæ præstatione primum est, ut res, ceu jam contractus tempore erat, tradatur, damnumq; , culpa etiam levissima ante traditionem rei venditæ accedens, à venditore præstetur: nisi in aëcipienda remoram emptor fecerit, quo facto dolum tantum præstabit venditor: casum fortuitum verò non aliter quam cum expressè se in hoc obligavit. *l. n. de act. emp. l. 2. § 1. l. 3. l. si vendita. de peric. & commodo rei vend. l. 35. § si res de contr. Empt. l. illud de. perie. & com. rei vend.*

X X X V.

Alter traditionis effectus est, ut non modo dampnum ex post facto rei traditæ culpa accedens præstetur, sed & incommoda illa quæ jam ab initio rei venditæ adhaerentia, venditor non indicavit. Quorum duo sunt, quædam usum impeditia, ut morbi & vitia rei venditæ; quædam salvo usu jus rei imminuentia, ut servitutes & tributa rei venditæ imposita. De prioribus cautum est Ædilitio Edicto, quo Ædiles antiquitus Agoranomi dicti, seu curatores rerum venalium, venditionem ob vitium rei, scienter vel ignoranter à venditore non expressum, aut rescindebant, aut quanti minoris supplementum dabant, aut actionem ejus quod interest. *l. 2. § 1. 2. de Ædilit. Edicto. Plato in Sexto de legib. Apulejus lib. 1. de Aureo Asino.*

X X X VI.

Rescindunt emptionem venditionem Ædiles actione ad redhibendum seu rescissoria concessa, qua emptor rem venditam, quam accepit, non deteriore opera sua aut servorum factam, unà cum accessionibus reddere tenetur. Venditor re vendita cum accessionibus recepta, pretium rei venditæ, unà cum accessionibus

B 2

sionibus

sionibus, & quæcunq; ex conventione accepit emptori restituere, & insuper omni eum obligatione, qua emptionis nomine obligatus erat, liberare compellitur: Spacio sex mensium utilium præscripto, quo uterq; de jure suo experiri, & in item deducere actionem debet. l. 1. de Ædit. Edict. l. 21. § pen. l. 23. § cum redhibetur, eod. l. 25. § ult. de Ædit. Edict. l. 19. § ult. de Ædit. Edic. l. 1. de divers. & temp. præscrip.

### XXVII.

Supplementum quanti minoris tribuitur emptori, qui ob vitium seu morbum rem non redhibere, sed ita retinere, ne in pretio decipiatur constituit. Eodem enim Edicto hodiè prospetum, ut intra annum agens utilem, quanto pluris ignorans emit, à venditore ex pretio consequatur. Quod si vendor morbum aut vitium sciens reticuit, rem sanam expressè vel tacitè affirmavit, rectè emptor ad id quod interest aget. l. 19. § ult. l. Ædiles de Ædit. Edict. l. 2. C. eod. l. 13. in pr. & § quod autem de Ædit. Edic. l. 6. § si vas de act. Empt.

### XXVIII.

Vitia ex hoc Edicto actionem redhibitoriam aut estimatiōnem inducentia, corporis non animi sunt: proinde servus venditus si levis sit, iracundus, contumax, jumentum pavidum aut calcitrosum, actio ex Edicto non competit, sed ex empto agitur, si sciens vitium animi vendor non indicaverit. In servo tamen quædam animi vitia expressè Edicto comprehensa sunt, quæ si in vendito reperiantur, actiones superiores inducunt. l. 1. § penult. ult. in fine. l. 4. § idem Pomponius § in summa de Ædit. Edict. l. 1. § 1. l. 31. § qui mancipia. l. 37. eod.

### XXIX.

Interdum evenit, ut vendor ob vitium rei venditæ non tenatur. Idq; contingit vel persona vendoris, scilicet cum fiscus quid vendidit, vel re venditâ, in venditionibus simplarijs, id est rerum contemptibilium, & nec preciosarum. Vel causis externis, quarum tres à Ictis enumerantur. 1. Si vendor sciens morbum vitiumve rei, ejus admoneat emptorem, & palam indicet. 2. Vel ignorans vitium, & tamen metuens ne quid existat, nominatum sibi cayeat ac paciscatur, ne morbi vicijne nomine, si quid

quid erit, teneatur. 3. Vel deniq; vitium ita sit evidens ut cognosci à quolibet possit. l. i. § illud de AEdil. Edic. l. 37. in pr. § i. de Evičt. d. l. i. § i. l. 14. § pen. Eod. d. l. 14. § ult. eod.

X L.

Tertius effectus hujus traditionis est, ut venditor rei venditæ possessionem ita tradat ne evincatur, seu ne jure judicicq; empori auferatur: re quippe evicta, actio adversus venditorem ob evictionem empori datur: Verum ut actio hæc competat duo requiruntur. 1. Ut res ablata sit judicio, id est sententia judicis pronunciatum, eam petitoris esse: nam si vi aliena sine judicio res ablata fuerit, ob evictionem actio cessat. l. ii. de Evičt. l. 25. eod. l. si cum quæstio C. eod.

X L I.

Secundo requiritur ut auferatur petitoris Iure non culpa emporis aut judicis injuria. Culpa emporis actionem ex evicione rei venditæ competentem excludit, si litem contra se motam auctori suo aut heredi etiam scientibus non renunciaverit: Vel his absentibus aut desensionem defugientibus, ipse judicio non adsit: tum sciens rem alienam alterive obligatam emerit. Injuria Iudicis si res evicta fuerit eodem modo actio evictionis cessat. l. 8. l. 21. C. de Evičt. l. 55. § fin. ff. eod. l. empor. l. 27. C. eod. l. 7. Communia uriusq; l. si per imprudentiam si. ff. eod.

X L II.

Actio ob evictionem non ad pretium duntaxat est recipiendum, sed in id quod interest emporis, continens & rem venditam, & quæ inde nata quæsitave sunt, aut acquiri postea potuerunt: fundo tameu vendito & publicato hoc singulare est, ut teneatur tantum venditor ad creditum restituendum, non etiam in id quod interest. l. 70. de Evičt. l. 33. locati.

X L III.

Incommoda salvo usu rei venditæ jus imminuentia, servitutes sunt & tributa, quæ, cum scivit venditor servitutem aut tributum deberi, nec aperte certiores fecerit emptorem actionem inducunt ex empto; qua non ad rescindendam venditionem, sed in id quanti minoris empori empturus esset, si de his factus esset certior, venditor tenetur. l. i. § i. l. 21. § i. l. 39. l. 41. de act. emp. l. si sterilis § i. eod.

B 3

Altez

X L I V.

Alter effectus traditionis venditoris præstationum est extra  
ré venditam partim in commodis rei venditæ, partim stipulatio-  
nibus positarum. Comoda rei venditæ perfecta emptione ad  
emptorem pertinent; proinde si quid ante traditionem accesser-  
it, totum hoc emptori acquiretur, cum naturali æquitati nihil  
sit tam conveniens, quam commoda sequi eum quem sequuntur  
**incommoda.** *S* cum autem. *Inst. de Empt.* l. commoda de Reg. *Jur.*

X L V.

Stipulationibus quoq; emptionibus adjectis, si quid pro-  
missum est præstabitur. Promittitur verò his plerumq; empto-  
ri, rem morbosam non esse, aut eam habere licere, & si habere  
emptori non liceat, duplam præstare. Quæ committuntur sti-  
pulationes, cum res vendita morbida inventa, aut evicta empto-  
ri fuerit: proindeq; ex his emptor adversus venditorem, ad pen-  
situdinem quod promissum est, ager. Illud notandum stipula-  
tiones hasce, plerumq; nudis promissionum cautionibus perfici,  
nec satisfactionem requirere: Verum cum venditor re tradita  
premium petat eo tempore, quo jam dominij questio emptori  
moveri cœperat, datis fideiustioribus satisdare tenetur l. n. § 2.  
*di act. emp. l. 37. de Eviūt. l. 31. S quia assidua. de Edil. Edic. l. pen.*  
*§ ult de peric. & com. rei, vend.*

X L VI.

Premium ab emptore diximus ita solvendum, ut nummos  
accipientis faciat: quare qui alienos solvens nummos, evictionem  
se præstitum affirmat, non auditur, & venditori rem traditam  
donicum suis emptor solvat nummis vindicare permititur. Et  
hi effectus sunt dati pretij ac rei traditæ. Cæterum ipse contra-  
ctus emptionis venditionis mutuam inducit obligationem, ex  
empto primam: alteram ex vendito. Obligatione ex empto,  
venditor ejusq; heredes emptori, tum heredibus emptoris, em-  
ptionis premium numerantibus, ad rem venditam ipsam, modo  
haberi possit, una cum accessionibus tradendam, sin minus, ad  
interesse præstandum, tenentur. l. u. in pr. § 2. § 9. de act. empt.  
l. i. Eod.

Vetus

### X L V I I .

Vetus ac vulgaris hinc exorta quæstio est: num venditor qui facultatem rei venditæ tradendæ obtinet, præcisè ad eam tradendam teneatur? Communis Dd. opinio negativam tuetur opinionem, nec suffulturis destituta legum, eò magis quod ad facta præstanta indistinctè civem urgeri Romanum, libertatis inducat imminutionem, publicaq; inhibeat Valerij Consulis constitutione. Verum contrariam nos, ut ll. magis consonam tuebimur sententiam, dumquæ facta citra corporis coercitionē commodè præstari possunt, ab invitis etiam citra mutationem libertatis exigantur.

### X L I I X .

Nec tantum res ipsa præstari debet, verum etiam ejus frustus quos venditor à contractus tempore ex re vendita percepit, & siquidem per venditorem ipsum, quominus res traderetur sterterit, omnem utilitatem habita ratione temporis, quo pluris res fuit solvet: modo & ipse emptor pretium integré solverit, utpote cui primùm adimplere contractum convenit, quamdui verò pretium non solvet res vendita quasi pignoris Iure à venditore retinetur l. 13. & si fructibus 10. § 18. de Act. empt l. 3. § ult Eod. d. l. 13. § 8. Eod. l. 22. dc hercd. vel Act. vend.

### X L I X .

Ex vendito obligatio est, & ex obligatione actio quæ venditor adversus emptorem ad præstandum pretium, usuras pretij, tum somptus & impensas in rem venditam factas experitur, modo & hic à sua parte contractum impleverit ac rem emptori træderit: Ex contractu enim ultrò citroq; obligatorio, tunc cum effectu agit actor, cum pro sua parte contractum impleverit. d. l. 13. § 19. § 20. § 22. l. 38. § 1 de act. emp.

### L.

Atq; hæc Emptionis venditionis jura sunt ordinaria, ex mutuo contrahentium consensu introducta, præter consensum obtingit ac naturam emptionis, ut jam ab inito contractu resiliatur: idq; vel pœnitentia contrahentium vel beneficio. l. 2. C. de rescin. vend. Contrahentium pœnitentia emptionem venditionem re adhuc integra (id est cum nec tradita res, nec pretium numeratū fuerit) resolvit, cum uterq; emptor & venditor in contractus re scissionem

scissionem apertè consentit : alteri duntaxat consentienti , etiam arrhas quas dedit remittenti , dissentiente altero , ne rescripto quidem Principis abire ab emptione licet . l. 58. de pac̄t. l. 80. de solut. l. 1. l. 2. C. quando licet ab empt. reced. l. si quam rem. 2. l. 5. § 1. de re- scind. empt. & vend.

L I.

Beneficio l. 2. C. de rescin. vend. novissimè introducto ac ve- teribus ICtis incognito , venditori aut emptori ultra dimidiam partem veri pretij , ex tempore contractus æstimandi læso , suc- curritur , daturq; ut ad pretij suppletionem , aut rescissionem con- tractus , condicione agat lege , l. rem majoris 2. l. si voluntate C. de rescin. vend. arg. l. unica ff. de cond. ex lege.

L II.

Locum obtinet hoc beneficium , non solum in rebus immo- bilibus sed & mobilibus , etiam tum cum res vendita perijt , di- stinctione observata , ut siquidem culpa emptoris perempta sit , non huic , sed venditori læso supplementum detur pretij , sin casu perierit , tam emptori quam venditori læso condicō competat . Is qui beneficio huic renuncians paciscitur , se hoc non usurum , aut affirmans si pluris res valeat , id quod amplius est donaturum emptori , beneficij hujus actionem remisit : nisi minor nuda con- conventione , absq; juramento renunciaverit , qui restitutus in inte- grum & què beneficium opponet ; juramento interposito renun- cians , ac postea restitutionem petens in integrum , non est au- diendus . arg. l. si ex legati . l. si servum § sequitur . l. nemo rem § i. de verb. oblig. l. pen. C. de pac̄t. l. pactum ff. eod. l. queritur § pen. de Ædit. Edict. l. regula de jur. & fact. ign. l. i. & auth. sacramenta puberum C. si advers. vendit.

L III.

Illud Coronidis loco monendum , licet beneficium hoc de contractu emptionis venditionis , specialiter videatnr conce- ptum , rectè tamen ad locationem produci , imò permutationem , divisionem , dationem in solutum , non itidem ad transactionem , aut adversus tertium possessorem . arg. § 1. Inst. de locat. & con- duct. l. i. & 2. eod. l. i. de rer. permutat. l. 29. § pen. de Ædit. Edict. l. 4. C. de evict. l. 15. de rejudic.

l. fin. § fin. de contr. empt.



## EPIGRAMMA

*Ad Dominum Reffendentem,  
HENRICVM COSSTEDEN,  
amicum haud vulgarem.*

*Q*uis renuit? Veras adfert industria laudes,  
Inter Eximios nomina clara viros.  
Præmia nam rigido Deus offert ipse labori,  
Atq; hoc transacto, vult superesse decus.  
Hac igitur quicunq; cupis sudore parato:  
En virtus veniet parta labore tibi.  
Sic ergo pergas H E N R I C E inquirere, sanctæ  
Præcipiant leges quid quoq; sacra Themis.  
Namq; tibi veras feret hac industria laudes,  
Inter Eximios Nomina Clara viros.

M. Michael Graßovius  
Hamburg. F.

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728316366/phys\\_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316366/phys_0022)

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728316366/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316366/phys_0024)

DFG

### XLVII.

Vetus ac vulgaris hinc exorta quæstio est: nun  
facultatem rei venditæ tradendæ obtinet, præcisè a  
dam teneatur? Communis Dd. opinio negativam  
nem, nec suffultris destituta legum, eō magis  
præstanta indistinctè civem urgeri Romanum, libe  
rimmationem, publicaq; inhibeat Valerij Con  
tione. Verum contrariam nos, ut ll. magis consol  
sentiam, dumquæ facta citra corporis coerciti  
præstari possunt, ab invitis etiam citra mutatio  
exigantur.

### XLIX.

Nec tantum res ipsa præstari debet, verum  
etus quos venditor à contractus tempore ex re ven  
& siquidem per venditorem ipsum, quominus res  
terit, omnem utilitatem habita ratione temporis,  
sunt solvet: modo & ipse emptor pretium integré  
te cui primùm adimplere contractum convenit,  
pretium non solvet res vendita quasi pignoris Iu  
retinetur l. 13. & si fructibus 10. § 18. de Act. empt. l. 3.  
13. § 8. Eod. l. 22. de hered. vel Act. vend.

### XLX.

Ex vendito obligatio est, & ex obligatione ac  
tor adversus emptorem ad præstandum pretium,  
tum somptus & impensas in rem venditam factas  
do & hic à sua parte contractum impleverit ac ren  
diderit: Ex contractu enim ultrò citroq; obligat  
effectu agit actor, cum pro sua parte contractu  
d. l. 13. § 19. § 20. l. 38. § 1 de act. emp.

### L.

Atq; hæc Emptionis venditionis jura sunt or  
tuo contrahentium consensu introducta, præter  
tingit ac naturam emptionis, ut jam ab inito conti  
idq; vel pœnitentia contrahentium vel beneficio  
vend. Contrahentium pœnitentia emptionem v  
adhuc integra (id est cum nec tradita res, nec pre  
fuerit) resolvit, cum uterq; emptor & venditor in

